

1540. multum à prototypo diversus. Præter quàm enim, quòd in hoc Anabaptistis tribuunt, quæ postmodum Origenistis adscripserunt, multa adjunxerunt, quæ ad obedientiam Magistratibus debitam pertinent, quò hac spumosa spongiâ lituras suas eluerent.

7. Et profectò causam nullam habuit Autor mutatae editionis, ut in Articuli hujus antithesi, Anabaptistarum loco, Origenistarum hæresin reponeret: siquidem hunc ipsum Origenicum errorem (quod nimirum damnati omnes, atque ipsi etiam Diaboli tandem salvandi sint,) Anabaptistas quosdam fovisse, testis est præter alios Sebastianus Franck.

8. Sed nec Scommæ Fabritij vel tanti illi estimandum, errore quodam hoc factum fuisse cavillantis, ut Anabaptistis Origenistarum errorem Prototypon Confessionis nostræ assignaverit.

9. Quin Spiritum compunctionis & vertiginis magis ille prodit, eò quod in verbis immediatè precedentibus expressè scribit: Quod de Anabaptistis subjiciunt, etiam nos probamus. Et tamen statim hoc ipsum erroris cujusdam insimulare haud erubescit.

10. Huc accedit quod reliqui etiam Confutatores Augustanæ Confessionis, nempe Iohannes à Daventria, Iohannes Cochleus, Iohannes Hoffmeisterus, in hac parte antitheseos, ut & in toto  
Arti-